

Exercitatio Theologica, De Conditionato Electionis Decreto : Adversus Calvinianos & Pontificios utrinque impingentes directa

Tubingae: Typis Kernerianis, 1660

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn892526173>

Druck Freier  Zugang






ca.

107.

Fa-1092 (107.)



68.

Σ.Θ.
EXERCITATIO THEOLOGICA,
DE
CONDITIONATO
ELECTIONIS
DECRETO,

65

Adversus
Calvinianos & Pontificios utrinque
impingentes directa,

QUAM
AUXILIANTE
SPIRITUS S. AURA,
PRÆSIDENTE

JOH. ADAMO OSIANDRO,
SS. THEOL. DOCTORE,
Ejusdemque Facultatis Professore

Ordinario,
Præceptore suo observanter
colendo,

M. FRIDERICUS FABER, Stutg.
Ill. Stip. Reper.

Ad diem & Octob.

IN AULA THEOLOGORUM NOVA,
pro viribus propugnabit.

TUBINGÆ,

Typis Kernerianis, Anno 1660.

Hilar. de Trin.

Non est de divina predestinatione humanis iudiciis sentiendum, neque enim nobis ea natura est, ut se in caelestem cognitionem suis viribus efferat: à DEO discendum est, quid de DEO, DEIque voluntate sit intelligendum, quia DEUS non nisi DEO auctore cognoscitur: Quoniam igitur Impossibile erat sine DEO discere DEI velle per verbum suum docet homines scire, quid velit DEUS.

VIRIS
PER QUAM REVERENDIS & DI-
GNISSIMIS, DE QVE ECCLESIA CHRISTI
PRÆCLARE MERITIS,

DN. DN. DN.

M. IOHANNI SCHÜBELIO, THEOLO-
GO CONSUMMATO, ECCLESIAE XE-
NODOCHIALIS, QUÆ STUTGARDIÆ
DEO COLLIGITUR, PASTORI, VICINA-
RUMQUE SUPERINTENDENTI SPE-
CIALI GRAVISSIMO.

M. IOHANNI FRIDERICO Rieß/EC-
CLESIAE CANSTADIENSIS PASTORI FI-
DELISSIMO, ut & RELIQUARUM VICI-
NARUM ANTISTITI PRÆCLARE ME-
RITO.

M. GEORGIO HEINRICO KELLE-
RO, ECCLESIAE DERENDINGANÆ PA-
STORI, CÆTERARUM INSUPER TU-
BINGENSIS DITIONIS VICINARUM
SUPERINTENDENTI VIGILANTIS-
SIMO.

Patronis, Fautoribus, Cognatis suis-
que olim respectivè Præceptoribus Obser-
vandissimis,

*Gratiam & Pacem à Domino nostro
Jesu Christo!*

A 2

VI.

VIRI DIGNISSIMI.

SACRA sacros decent, Philosophos,
Philosophica, utrosque autem inter vel plu-
rimum VOS CLARISSIMA ECCLE-
SIÆ LUMINA clarere, non secus, ac Luna
minora inter sidera novit, qui VOS novit, ama-
tis quippe ea, eorumque jувatis amatores. Sa-
tis id ego expertus, gratus esse volui, non potui,
in remora autem fuit meus tum variis obrutus
animus, tum alia impedimenta, sed rumpo ea,
atque hic levem opellam gratitudinis offero.
Accipite Ergo PATRONI MAXIMI eam
dignissimis Vestris Titulis consecratam, meque
serena facie ut hæcenus ita impostertum quo-
que respicite; Legite hæc Theologica Theolo-
gi; Philosophica Philosophi, Legite, optima-
que selegite. Valetet memorique beneficiorum
favete, qui pro Vestra Incolumitate devotus
apud DEUM precatot est,

Dabam Cal. Oct. 1660.

R.R.R.V.V.V.D.D.D.

Clienti officiosissimo

M. Friderico Fabro,
Ill. Stip. Repet.



EXERCITATIO THEOLOGICA,
^{De}
CONDITIONE DECRETI
ELECTIONIS.

*Opposita, tum Calvinianorum, tum Pontificio-
rum Spiritibus utrinque absurdis.*

PRÆFATIO.

QUOD olim Philostratus in Apollonii vita
prudenter fatis ac providè monuit:

Cave, ne in Melampyrum incidas, vel Abydum naviges.

Ejusdem etiam nos, inter duos minantes quasi scopulos, peri-
culose versantes, in præsentì, de Conditionato Electionis no-
stræ decreto, *ἡσυχία*, haud immemores sumus, sive n. brutum
absoluti Calvinianor. Decreti Idolum, sive horrendum pro-
priisq; Meritorum lenociniis fucatum, Papistar. Monstrum
spectemus, undiq; gravissima nobis imminent pericula; qua-
propter, ne fumum fugientes in ignem incidamus, vel cha-
rybdi evitatâ in Scyllam, cautè ac prudenter agendum nobis
est. Exigit autem Tractatio præsentis Controversiæ, debitam
& accuratam ex solo DEI verbo depromptam *συζήτησιν*, & im-
primis sobriam locorum discretionem, quâ de distinctissimis
his Calvinianorum & Pontificiorum decretis, distincte sen-
tiamus, eorumque sententiis feliciter occurramus. Verùm
cum Materiæ præsentis, de Conditionato Electionis nostræ
Decreto Univerfa consideratio tam late se diffundat, & ex-
quisita ejus tractatio prolixissimum postulet Examen, nolu-
mus eam *ὑπερβολῶς καὶ ἐξηλασμένως* pertractare; Sufficiat sal-
tem hâc vice pro modo & Viribus, & utrinque, circa condi-
tionem Decreti peccantes Adversariorum opiniones, duo-
bus Articulis perstringere idq; unico Apostoli Dicto, Eph. 1.
versiculis aliquot prioribus; quo loco & *ἐλλείπον* & *ὑπερβολὴν*
seu defectum & excessum utrinque commissum B. D. redar-
guemus.

A 3

PRIOR

PRIORIS ARTICULI
Thesis.

Decretum Electionis Divinum in Christo fundatum, verè est conditionatum.

Opponitur Calvinianis eorumque cæco & Absoluto Eligendi Decreto.

EXERGASIA.

Statum Principalis Controversiæ docet.

§. I.



Tut Acropolin & Munitissimum Calviniani in absoluto Electionis Decreto, quærant Castellum, ruinofum tamen id est, ob caduca rationi humanæ superstructa fundamenta, atque ariete verbi divini haud difficulter subrui potest, quod patebit, si præmiserimus monita quædam ad formandæ quæstionis principalis dilucidationem. I. Non quæri inter nos & Advers. de absoluto DEI Decreto, sensu Pontificio, sed Calviniano. Concedimus enim nos ipsi non inviti, absolutum esse Decretum Electionis, à prævisis scil. bonorum operum meritis, imò strenuè defendimus ex Eph. 1, 4. 5. 6. contra Bellarm. l. 2. de Gratia c. 10. 11. Interim tamen intuitu & respectu meriti Christi, tanquam causæ *πλαστικής*, & fidei nostræ ab ipso DEO nobis collatæ, tanquam causæ *οργανικής*, dicimus non esse absolutum, sed limitatum & determinatum. II. Obs. cum vox Decreti, dupliciter accipiatur, vel pro ipsius *intentione* vel pro ejusdem *Executione* accuratè correspondente, non quæri inter nos & Calvin. de Decreto in posteriore *significatu executionis ratione considerato*, an scil. Electionis Decretum sit absolutum ab omni causa consequente. Hoc enim & nos & illi fatentur non esse absolutum, sed conditionatum & ordinatum, ac de *Intentione* potius quæri, videl. an sit absolutum antecedenter, h. e. respectu ipsius decreti, an DEUS salutem sine ulla causa & ordine interveniente meriti Christi hominibus destinarit, quod ipsum uti nos rectissimè & Scripturæ Sacræ *ὁμοιόφως* negamus, ita Patres Synodici causam Electionis gratuitæ SOLUM constituentis DEI beo placitum impiè asserunt. III. Obs. Quando nos disputamus de ordinatione Eligendorum ex fide prævisa, dici-

*Electio
98
Decretum absolu-
tum sensu
Pontificio, non
Calviniano.*

dicimus, quod hanc hominum fidem DEUS simul in puncto æternitatis sit intuitus, non tanquam causam hominis meritoriam, aut ut propositum bonum, propter quod Electio fieri, debuerit, aut ut conditionem & qualitatem quandam condignam, propter cuius dignitatem vel meritum aliquis dignior, qui eligeretur præ altero, aut ut Efficaciorem *δύναμιν*, ob quam vita æterna debeat conferri, uti Calumniator Keckerm. System. Theol. p. 301. nobis affingit, sed hoc dicimus, quod DEUS intuitus sit fidem in eligendis hominibus, tanquam medium ἀλλήλων & instrumentum, hominibus è morte spirituali excitandis ex mera gratia per & propter Christum, in verbo & Sacramentis offerendum: quod cum DEUS in æterno intuitu ab aliquibus prævideret, non malitiose rejectum iri, eos elegit præ aliis ad vitam æternam, non quidem propter hanc eorum prævisam fidem, nec propter intermissionem repugnantia, sed propter Christum, cui resistere quidem potuissent per naturam, juxta *περὶ γνωσιν* in DEO non resistunt, sed duci se ad eum, per gratiam patiuntur.

Hiscæ præmissis sponte emergit inter nos & Patres Synod. Calv. controversiæ status, quo quæritur:

Vtrum Decretum DEI de Eligendis Hominibus nullam Conditionem, nullamve aliam causam admittat, præter unicam eamque solam Φιλάνθρωπον DEI voluntatem, adeoque ab omnibus cæteris mediis & ordine sit absolutum: an verò illud ipsum decretum quæ in mente DEI ab æterno est, factum sit intuitu mediæ meriti videl. Christi, in verbo & Sacramentis oblatis & fide postmodum apprehensi.

Calv. Dd. propugnatores absoluti Decreti acerrimi, priorem erro-
neam amplectuntur sententiam, quorum tamen non omnium eadem mens est, sed in diversissimas abeunt partes, & varia dum alter alteri receptui canit, monstra ebuccinant, aliter enim hîc sentiunt, supralapsarij Calv. aliter sublapsarij, hi que iterum inconstantes in rigidiores & mitiores, inter hypotheticos & Categoricalos se dividunt, de quorum mira dissensione consule Contr. Danhaw. Hod. Calv. Phant. II. p. 100. seqq. Quamvis autem omnes invicem diversas alere sententias videantur, perspecta tamen cujuscunque mente ore uno absolutum in DEI intentione Electionis decretum ab omni conditione, defendunt, Orthodoxis verò

Evan-

*Fides non
quod
mi Decret
Electio
Deo respic*

§. II.

Evangelicis de determinato ac limitato decreto posterior arridet sententia, quam & sequenti argumento defendemus.

§. III.

Depromimus autem argumentum Theticum ex Eph. 1. v. 3. 4. seqq. plur. ubi Apostolus ait: Benedictus DEUS & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos omni benedictione spiritali in cœlestibus in Christo, quemadmodum elegit in ipso, antequam jacerentur mundi fundamenta ut essemus sancti & irreprehensibiles coram ipso per charitatem, &c. ad 12. v. hinc ita argumentamur:

Cujuscunque decreti fundamentum per omnia est Christus, illud ipsum non est absolutum à merito Christi, & prævisa fide apprehendente, sed est determinatum, & suis conditionibus limitatum. Sed Decretum DEI quâ decretum & ratione intentionis consideratum de Eligendis & salvandis hominibus, fundamenti loco per omnia habet Christum. Ergo, &c.

§. IV.

Propositio in oculis Calvinianorum fudes, ex inspectione totius textus Paulini clarescit. Et quidem I. ex collatione *Benedictionis spiritalis & Electionis ad salutem*, v. 3. quarum una & eadem ratio, voce καὶ ὡς ἐξελέξατο connotata. Cum autem Benedictio spiritalis ita sit comparata, ut fundamentum ejus unice sit in Christo, sequitur pari modo comparatam esse Electionem.

§. V.

II. Patet firmitas Maj. ex formali ratione & causâ nostra Electionis, v. 4. Quicumque eliguntur in Christo, non tanquam in medio, nec velut in subjecto in quo, causâ Electionis opposito, sed IN, hoc est PER Christum tanquam causam Meritoriam, illi non absolute eliguntur: Atqui omnes & singuli, quotquot sunt Electi in Christo, tanquam fundamento, sunt Electi in Christo, non tanquam in subjecto vel in medio, sed in, h. e. per Christum, tanquam per causam meritoriam. Ergo, &c. Major est certissima, & ab ipsis Adversariis receptatur; Minor verò probatur, quia in Christo eligi, notat per & propter Christum eligi. Hinc enim Apostolo præpositio IN æquipollet præpositioni PER vel PROPTER, sicut ex collatione seq. patet Eph. 1. i. inscribit hanc Epistolam Sanctis fidelibus IN Christo, hoc est, PER & propter Christum. Sic v. 10. scribit: DEI Patris æterni benevolum fuisse propositum omnia re colligere & restaurare IN Christo, hoc est PER & PROPTER Christum eis ἐφορῶν prædestinari. Ex superabundanti addo, quod quem-

*In Christo
Eph. 1.
notat per
Christum.*

ad

admodum IN peccatis mori idem est, ac PER & PROPTER peccata mori, Deut. 24, 16. ita eodem jure dico: IN Christo Eligi, h. e. per Christum eligi.

III. Colligitur veritatis Robur Prop. Maj. producti argumenti à *Consonantia Executionis cum Decreto ipso, sive justificationis cum Electione*; Quemadmodum enim DEUS in tempore nos salvat, ita ab æterno nos salvare decrevit, *ratio*, quia DEUS non contradictorio, hoc est, alio modo & quidem opposito in tempore nos salvat, quam is decrevit ab æterno, verum *sicut* intuitus mediorum in Executione decreti, ita quoque in ipso Decreto quoad DEI intentionem requiritur, nisi quis DEUM accusare velit mutabilitatis contra locum Mal. 3, 6. *Atqui* in tempore nos DEUS justificat non absolute, uti ipsi concedunt, sed per medias causas. E. eodem modo, non absolute, sed intervenientibus debitis causis Mediis etiam nos justificare decrevit ab æterno.

Assumptio Prosyllogismi prob. ex ψ. 5. investigatione cum collat. ψ. 9. & 10. ibi ait Paulus *πρωτοκλις ἡμῶν διὰ τῆς Ἰησοῦς*, qui prædefiniuit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum, secundum beneplacitum voluntatis suæ, hic vero *πρωτοκλις*, &c. *ἀνακεφαλαίωσαι τὰ πάντα ἐν τῷ Χριστῷ*, in quibus verbis omnia, quæ ad Electionis conditionatæ fundamenta requiruntur, existunt. Adest quippe *εὐδοκία* & *θελήματι* Θεοῦ, quæ proposuerat ab æterno in temporis plenitudine omnia sub unum caput per Christum reducere. 2. Causa efficiens *meritoria Christus*, stringens & limitans hoc decretum, quia DEUS non simpliciter sibi proposuit *ἀνακεφαλαίωσιν* in æterna illa sua *εὐδοκία*, verum, *ἐν τῷ Χριστῷ* *πρωτοκλις ἀνακεφαλαίωσαι τὰ πάντα*, in Christo proposuerat instaurare omnia. Si in Christo E. non absolute 3. adest quoque *fides*, quæ non oblique in *causa finalis* vocabulo *ἐπιθεσίας* involvitur, dicimur enim Electi in adoptionem filiorum DEI, seu ut Effemus filii DEI, quos autem DEUS *ἐς ἐπιθεσίας* *πρωτοκλις*, illos non absolute sine fide, sed secundum beneplacitum, juxta fidem prævisam elegit, illi enim sunt filii DEI adoptati, qui credunt in nomen ejus, Joh. 1, 12. hinc expresse etiam vocatur fundamentum nostræ Salutis, I. Cor. 3, 11.

ARIES hic fortissimus à variis variè si non depugnatur, impugnari tamen summè intenditur. Reponunt quippe Patres Synodici, & cum illis Henricus Alting. in *Theol. Elencht.* pag. 213. 214. seqq. ut & Petrus Molinæus in *Anatom. Armin. Maccov. disput. de prædestin.*

B

ad

§. VI.

§. VII.

§. VIII.

ad Propos. Eam esse ambigam, intelligi enim fundamentum Christi-
 stum, h. e. causam impulsivam & meritoriam dupliciter, *vel* respectu sa-
 lutis decretæ, *vel* ipsius decreti de Salute, prius concedunt cum Scriptura,
 1. Cor. 3. alterum ut minus conforme Scripturæ rejiciunt. Hinc *Patres*
Nationales negant *Maj.* conseq. Sequi quidem posito fundamento Ele-
 ctionis Christo, DEUM neminem decrevisse perducere ad salutem, nisi
 crediturum in Christum, *nondum* verò consequens esse cognovisse
 DEUM in hac Electione fidem hominis tanquam conditionem Elect.
 antecedaneam: hæc ad *Maj.* repon. nunquam specialiter aggrediuntur
 ejus probationes. Excipiunt E. ad ejusque Probat. I. Si Benedictio-
 nes spirituales, ac proinde fides nobis sunt data secundum Electionem
 æternam, & prout eramus electi. E. Electio prior est istis benedictio-
 nibus & ordine & tempore. *Consentaneum enim* (ita Maccovius) *non est,*
ut DEVS, dicatur Eligere propter aliquid, quod ipse daturus est, non ens
Donum DEI dici non potest. Fit inde hic Syllog. Quicquid est datum se-
 cundum Electionem æternam, id Electione non est prius. Sed benedi-
 ctiones spirituales, & proinde fides est data secundum electionem æter-
 nam. E. Hinc mirantur *Contraremonstrantes Provinciales* fratres ipso-
 rum non advertisse animum ad verba seqq. ejusdem commatis, diserte
 enim ibi legi, DEUM nos Elegisse, ut essemus Sancti, ut essemus incul-
 pabiles coram eo, per charitatem, ex quo dicunt apparere, DEUM nos
 Elegisse, non quia nos ille Sanctos & credentes vidit & benedictione di-
 vina spirituali jam dotatos, sed modo ut tales fieremus. Proinde sancti-
 tatem & fidem non esse *Conditiones antecedentes*, sed *fructus eam conse-*
quentes; hæc illi in *Collat. Hag. art. 1. pag. m. 72. 73. seqq.*

§. IX.

Ad II. Probat. *Maj.* Pro syllog. diluendam varia sibi quærent la-
 tibula quo confugiant *Patres Synod.* quando dicunt (1.) Eligi in Chri-
 sto, non inani, tanquam in *movente Electionis causa principali* *ὡς ἡ ἀ-*
πένη, sed *subjectivè* solum accipi, addunt hanc rationem, *cum enim nos*
non simus Electi nisi Electo & predestinato Christo, ideoque ordinem hinc in-
dicari, & Christum caput Electorum constitui, ut nos non aliter, quam ut
membra Electa in Christo concipiamur. loco adducto pag. 73. seqq.
 (2.) Calvinus rem aliter in crustat & putat se invenisse non quod pueri
 in faba, sic enim ejus glossa super verba Pauli I. 3. In st. cap. 22. *Quando*
DEVS in semetipso nos eligere decrevit, perinde est ac si diceretur, nihil ex-
tra se considerasse, cujus rationem in decernendo haberet, itaque protinus
subji-

subjicit, huc pertinere totam Electionis nostræ summam, ut ante secula in laudem divinæ gratiæ electissimus; & excludit à Beneplacito Divinæ voluntatis Meritum Christi fide apprehendendum. (3.) Paræus in Comment. super hunc locum excipit, & dicit Christum *à* pliciter decretum Electionis, vel antecedenter vel consequenter ingredi, priori modo eum non ingredi posse, ex hoc loco exculpi, verum solum posteriori, quod nil ad rem. Electos enim nos dici in Christo, ut spiritu & fide aliquando Christo inferamur. (4.) Ineptior & magis blasphemus seft in hoc loco Piscator contra Schafmannum de præd. thes. 104. Crimen læsæ Majestatis committendo, quando in Christo Eligi non principaliter & merito, sed instrumentaliter tanquam per servum eligi exponit, non v. per Salutis autorem. Item, quando oppositam esse vult causam & medium Electionis, in Christo eligi, & per Christum eligi dicens; Christum esse Medium decreti Electionis ab æterno factæ, non tamen esse causam. Imò urget contra hunc locum hoc modo: Si DEVS nos, qui in Christum credimus, prædestinavit ad adoptionem, ac proinde ad vitam æternam ex beneplacito suo, sequitur illum eos, qui in Christum non credunt, nec credituri sunt, ex eodem beneplacito prædestinasse ad vitam æternam. Etenim ex hoc uno eodemque fonte Christus expresse derivat tam vocationem inefficacem Scribarum & Phariseorum, quam vocationem efficacem simplicium atque rudium, qui ipsum prædicantem Evangelium audiverant, Matth. 11, 25, 26. (5.) Recentiores, qui subtiliores videri volunt, aliter incedunt, Petrus enim Molinaeus dicit, non versari Electionem in Christo circa homines, prout vera fide Christo in intuitu DEI æterno adhærere prævidentur, nec factam esse propter Christum fide apprehensum, sed factam jam certorum hominum Electione, Electionem demum Christi esse factam, atque adeo Christum Effectum, non verò causam constituit. teste Micrælio 2. Dec. disput. 11. part. 6.7. (6.) Maccovius tandem hanc Criticam adhibet, in verbis esse trajectionem, eaque sic esse legenda: *Eligit nos ut essemus Sancti in ipso ante jacta mundi fundamenta, ut concludat, nos debere esse Sanctos in Christo non autem Electos in Christo, cit. Joh. Micrælio, Theol. Pomerano, in 2. Decad. disp. 2. §. 13.*

III. Fundamentum, ad Profyllog. Maj. propositionem ab Executione decreti ab æterno, adductum, Provinciales Theologi Remonstrantes, gratissime pro se accipiunt, asserentes sibi aded non adversari, ut potius saveat, nam hoc ajunt tantum sequi inde, cum DEUS solos Credentes

§.X.

B 2

& per-

& perseverantes salvos faciat, decretum quoque ei, neminem nisi fidelem & perseverantem salvum facere: Sed ex eo nondum effici, hoc decreto totam de prædestinatione doctrinam contineri, nec fidem in Electione hominum ad salutem à DEO esse consideratam, tanquam conditionem, quæ in homine Electionem antecederet, sed contra ex eo patere, fidem à DEO in Electione illâ considerari, ut medium per quod DEUS jam Electos velit perducere ad salutem; Habere etiam, ajunt, eos pro certo & in dubitato, quæ DEUS in tempore facit, ea ipsum ab æterno facere decrevisse, atque ita facere uti decreverit, & vice versa, quæcunque ille ab æterno facere decrevit, & quomodo decrevit, ea illum & facturum certissime, & eo, quo decrevit modo facturum. Ex quo colligunt contra remonstrantes Theol. contra fratrum suorum sententiam. Quandoquidem DEUS in tempore præteritis integris populis & nationibus, quibus verbum suum prædicari non sivit, certas verò solummodo & quasdam personas vocaverit, & fidem reipsa donaverit teste Experientia & Paulo 2. Theff. 3, 2. Eandem quoque decrevisse ab æterno tantum has singulares personas, & proinde non omnes homines donare fide, eosque ita salvos facere. Ex quo necessario consequi dicunt, per Electionem ad salutem intelligi segregationem certarum quarundam personarum ad salutem & finem, non posse autem tali Electione priorem esse fidem ut conditionem, sed necessario tanquam fructum ex Electione efflorescere, idque juxta mentem Pauli Tit. 1, 1. qui secundum fidem vocatus dicitur. Hæc ex Collat. Hagiensi artic. 1. de div. præd. impugn. post. der Contra-Remonstr. pag. 75. 76.

§. XI.

QUANQUAM hisce argutiis mire sibi placeant, & gloriantur iisdem, arduæ tamen ita non sunt, quin earum nervum elidere ac Gordios hos nodos solvere possimus. Respondemus itaque *Patribus Synodicis Theol. Provincialibus, Altingio, Molinæo, aliis*; Ad exceptionem, istam pro refellenda Maj. propos. planè inanem esse & præter rem distinguui. Christum enim non minus esse fundamentum Electionis ad salutem, quàm ipsius salutis, quod ipsum duplici argumento contra illos probamus. 1. Qui est fundamentum Salutis, idem etiam est fundamentum Electionis ad salutem, ratio est, quia Electio ex hypothese est primum & præcipuum salutare beneficium, unde tota salus reliqua pendet, adeo ut qui ejus fundamentum non est, nec salutis fundamentum esse queat. Atqui Christus est fundamentum salutis, uti concessum est. Ergo etiam est fundamentum Electionis ad
Salu-

Salutem. II. Ille salutis fundamentum est & dici meretur, cui salus primò & principaliter innititur, sicut Etymologia vocis, fundamenta innuit; At nisi Christus sit fundamentum Electionis, jam ipsi primò & principaliter innititur salus. Ergò Christus est fundamentum Electionis. Reponit quidem Alting. nos in utroque argumento principium petere, nec usquam in toto Biblico corpore Christum Electionis fundamentum constitui; sed planè falsum hoc est, *Alsepp* idem Eph. 1. 4. contrarium asseritur. Nisi Ergo aliter probent, eum, qui est salutis fundamentum, non esse simul Electionis fundamentum, in veritatis possessione stantes non pellant. Secundò juxta *ipsorum hypotheses*, ne quidem salutis fundamentum constitui Christum, nam cui nullo modo innititur salus, id non est fundamentum salutis, sed Christo juxta hypoth. suam nullo modo salus nostra nititur. Ergo, &c. Nam qui salutē necessario tenetur dare iis, quibus ea etiam sine ipso multò ante destinata est à Patre per Electionem, illi nullo modo salus innititur. Sed Christus juxta hypoth. Calv. tenetur dare, &c. Ergo. *Major* plana est, quia modus alius dari non potest, quo Christo inniti possit salus. *Min.* etiam satis plana est, quia enim DEUS Pater jam destinarat salutem Electis ex hypoth. non opus erat eos iterum reconciliari Patri, quia illos amabat, eo ipso, quo elegerat in Christo. Protestatur quidem Altingius, & calumniæ h. l. nos arguit: *Vtiq;*, dicens, *Christum etiam esse salutis fundamentum, cum non extra eum facta sit electio.* Sed vanum est hoc Effugium, cœcus insuper zelus est, principiis suis incongruis contradictorius; frustra faber est, qui una manu follem inflat, altera incendium aqua extinguit, stultum est hic defendere Castellum, alibi verò arcem prodere. Donec Ergo priores relinquat hypoth. inanis & frivola est ejus protestatio.

Exceptiones speciales quod concernit. Respondemus ad Primam primæ probationi oppositam: 1. Turpissimum in ea committi *Consequentia Elenchum*. Non enim sequitur Benedictiones spirituales, & per consequ. fides nobis sunt datæ secundum Electionem. Ergo Electio prior est fide, nam fides salvifica, non tam est charisma cœlitus oblatum ab æterno prævisum, quam manus oblatis beneficii capax ac prius ordine fidelem esse oportet, in quem benedictio cadit, unde Apostolus clare scribit, postquam credidistis, ob signati estis spiritu promissionis. 2. Posito Ergo dona spiritualia benedictionis dici posteriora Electione, tamen non aliter posteriora dicuntur, quam sicut dona oblata ex prævi-

B 3

sione

§. XII.

sione acceptionis; Est itaque omnino discrimen hic attendendum *inter fidem*, quæ est salvifica, & *fidei salvificæ actum*, ut effectum. Fides salvifica est manus mendica apprehendens cœlestes Benedictiones, quas cum amplexa est, accipit lumen fidei virtutem ut charisma divinum, illa, quæ prævisa est Electione prior, non ut ens præexistens, sed ut finis movens voluntatem, antequam existit lumen fidei, ut virtus est donum temporale; Neque repugnant hæc duo esse motivum amoris & simul donum amantis. 3. *Elenchum causæ* committunt *Patres Synodi Dordr. Nation.* Non enim DEUS elegit homines, quia prævidit Sanctos & irreprehensibiles, & justos, sed quia prævidit per gratiam credituros; Hinc distinguimus *inter objectum Electionis, & inter finem ejusdem, item inter finem intermedium & ultimum.* Adde, quod non incongrue hæc sanctitas & irreprehensibilitas Electorum in conspectu DEI, possit exponi de justitia Christi Electis per fidem imputata, id quod evincunt ultima versiculi verba ἐν ἀγάπῃ, in charitate enim, quæ est fructus, justitiæ fidei, dicuntur illi esse, qui sunt in conspectu DEI ἅγιοι & ἀμωμοί, falluntur ergo, qui interim colligunt ex Eph. 1, 4. nos esse ad fidem, non autem in fide Electos; Quanquam Apostolus dicat nos esse Electos, ut essemus sancti, non tamen à prævisione Mediorum fidem excludit,

§. XIII.

Ad Exceptiones Secundæ Probationis varias, varie Resp. Ad primam miramur *Synodalem vertiginem*. Si enim Electio in Christo, ex hypoth. fit per respectum ad Christum, tanquam ad Subjectum principale, tum non potest non primo respici Christus, quod alibi negarunt; respicitur autem Christus, vel ut prædestinatus simpliciter & absolute, vel ut caput prædestinatorum, non potest dici, quod Christus respiciatur prædestinatus absolute, eâ enim ratione nulla est connexio vel dependentia inter Christum & suos Electos; Si autem Christus respiciatur ut caput Electorum, & nos dicimur in Christo Electi velut in capite, tunc Christus fons & causa Electionis eo ipso esse statuitur clarissime adversus illos. Caput enim non solum dignitatis ordinem, sed & causalitatem quandam infert, & qui ut membrum cum Electis est in Christo, is eo ipso præsupponitur per Christum Patri reconciliatus, adeoque intervenire debuit ab æterno intuitus Mediatoris, ob quem sumus accepti dilecti; Quamquam autem Christus Esa. 42, 1. vocatur יְהוָה, i. e. Electus, salva tamen veritas est nostræ sententiæ, nam Electus vocatur, quia est dilectus ille Filius, in quo Pater acquiescit, Matth. 3. 17. & quia

ἐξ α-

ἐκλεκτῶν ἡμῶν ὁ Θεὸς ἐν τῷ ἡγαπημένῳ, non autem eo sensu, quo nos electi dicimus. Ad II. Except. Probat. Secundæ Maj. pro Syllog. Resp. eadem fere e chordâ oberrare, & in *Electiōne alienum* & in *Consequentiārum* periculosos scopulos impingere Calvinum. Opponit enim Electiōnem in Christo extrinsecâ dignitati hominis propriâ, quod hęc alienum, & plane nos non ferit, E. asino has clitellas, non est hęc nostra sententia, aliquid extra Christum esse in homine virium, quò DEUS ad eligendum eum induceretur, sed Pelagiana est. Nos enim ultrò fateamur, in illis, quos DEUS elegit nihil fuisse, quod ad amorem eum permoverit, hoc a. non est in quæstione; uti dictum. Quando a. ab Electiōne æterna DEI excludit omnia reliqua media (uti non obscure excludere videntur) scilicet Meritum Christi, & quæ sunt ejusmodi, negamus consequentiam, nam propositum aut consilium voluntatis Electivæ in DEO, complectitur totum salutis nostræ ordinem, in quo Electiō non fit, nisi sint in intuitu Eligentis DEI, qui gratia divina in totius mundi Redemptorem credituri, & quibus remissio peccatorum ante jacta Mundi fundamenta per & propter Christum viva voce apprehensum sit destinata & salus decreta. Ad III. Except. prob. ejusdem secundæ ad Maj. pro Syllog. Resp. Esse *perpetuum Calvinianorum Cothurnum*, ut dicant se non excludere Christum à Decreto Electiōnis, prout notat executionem, nam inter media salutis facilè Merito Christi principem locum assignant; Athoc iterum est extra statum Controversiæ vagari, non enim *quæritur: Vtrum inter media salutis Christus cum suo merito sit ponendus in Decreti Executione*; Sed hoc quæritur: *Vtrum ipsum Electiōnis Decretum quâ Decretum, h. e. ratione sui principij & intentionis divina Christus cum suo merito [& ordine] ingrediatur ita, ut causa sit propter quam ab æterno simus Electi*; Quod nos defendimus & sic contra Paræum argumentamur: Sponsio Christi aut præcedit Electiōnem aut sequitur, si præcedit, habemus intentum, nempe, nullum esse Electum nisi per & propter æternam illam Christi Sponsionem, quam secuta redemptio est in tempore. Si autem eam subsequitur, patet, plane non opus esse sponsione, nam qui Electus est, ille jam DEO reconciliatus est; tum autem demum sponsione opus est, ubi partes dissentientes & adhucdum adversæ sibi invicem debent reconciliari. Ad IV. Pisctæoris Except. Respondemus eam oppidò *impiam, blasphemiam, & vix Responsione sive Solutione dignam esse*. Posito enim nos in Christo eligi instrumentaliter sal-
tem

eam & tanquam per servum sequeretur, Christum non Authorem salutis esse contra verba S. S. Act. 13, 13. Neque causam meritoriam omnis Benedictionis spiritualis, sed eam saltem, quæ actionem non impetret, sed impetratam exequatur, quod horrendum de Christo proferre, & aperte Paulo contradicit, qui donum Electionis & Benedictionis spiritualis in unâ & eâdem causa Christo nimirum ita comparat, ut dicat nos in Christo ab æterno sic esse Electos καθὼς, quemadmodum in tempore omni benedictione spirituali in eodem benedicimur; At per Christum non instrumentally, sed meritorie, tanquam per causam propter quam benedicimur. Ergo in eodem quoque non instrumentaliter, &c. eligimur. Alterum Calvin. & Piscat. dictum, quia supra refut. eo superledemus. Quod autem retorquet nos non ferit, observamus nos in illa oratione tum ἀκυρολογίαν Φερίσεως, tum obliquationem conclusionis, tum consequentiæ infirmitatem. Ἀκυρολογίαν, quia tum ipsi Calviniani Ursinus, Zanchius, Arezius, Keckermannus, & alii, nonnisi in bonam partem vocem prædestinationis interpretantur, tum ipsa Scriptura nullibi in malam partem illam accipit, ut præprimis, tum ex defectu testimonii, tum ex loco Rom. 8. v. 30. apparet. Conclusionis obliquationem, non enim quaestio est: An à beneplacito DEI reprobatio pendeat, sed num à beneplacito absoluto. Tandem inconsequentiam? Posito enim Electionem esse absolutâ, non tamen confestim repræsentatio erit, quia DEUS potuisset aliquos absolute ex massa corrupta eligere, cæteris non absolute, sed ob incredulitatem finalem & propriam eorum culpam reprobatis, neque dictum adductum quicquam juvat causam Piscatoris, quia occultatio illa non facta est ad omnem prævariarum causarum exclusionem, sed Evangelii prædicati præcedente in aspersionem. Ad V. Molinæ ἀσύζητα Respond. variis absurditatibus ea laborare, atque monstruosum causam E enchum committere, nam Electio hominum non trahit post se in DEI proposito, sed præsupponit potius Christum; non enim datus est Christus, quia aliqui Electi sunt, sed quia Christus, i. e. Filius DEI θεάνθρωπος unica causa est, quare DEUS & amaverit omnes, & solis Credentibus salutem destinavit, ideo Electio illorum, qui prævisi sunt credere facta est. 2. Imprimis autem notandus est h. l. accuratus Apostoli progressus, Eph. 1. Huc tendens, scilicet omnem spiritualem Benedictionem ut in tempore in Christo, perque & propter Christum abundanter dispensatur: ita juxta propositum & consilium voluntatis divine fuisse de
 Eligen-

Eligendis hominibus aliquibus, quibus non in Christo perque & propter Christum gratia Electionis decerneretur, præsertim quia nemo extra Christum consideratus est gratus, vel redimendus, à peccatis solutus vel solvendus, c. 1. Eph. 7. Ad VI. Maccovii inanissimas, & plusquam frivolas subtilitates quod attinet, miramur μετέθεσιν Apostolo non sine injuria affictam, quando n. is ait ἐξελέξατο ἡμᾶς ἐν αὐτῷ πρὸς καταβολῆς κόσμου εἶναι ἡμᾶς ἀγίους, dicit Maccovius esse hæc verba intelligenda per trajectionem, & sic construenda; ἐξελέξατο ἡμᾶς εἶναι ἡμᾶς ἀγίους ἐν Χριστῷ πρὸς καταβολῆς κόσμου. Quid est nodum in scirpo quærere aliud si hoc non est? Insuper vitiosus quoque pleonasmus & κακοφωνία sine causa sanctis Apostoli verbis impingitur; Quid enim hoc est Græcis ἐξελέξατο ἡμᾶς εἶναι ἡμᾶς, Taceo illud (πρὸς καταβολῆς κόσμου) si vel ante hæc verba κατενώπιον αὐτοῦ ἐν ἀγάπῃ vel post ea ponatur, atrobique contra eruditam Pauli linguam & sensum ejus verum, aliquid affingi, uti unicuique textum inspicienti patet. Certum E. est non opus fuisse affingere verbis Paulinis trajectionem, ubi nulla est; deinde duplicis redundantia h. l. Maccovium esse arguendum. Rationes Maccovii autem pro trajectione illa, quæ non in textu, sed in cerebro illius, non concludunt, non illa, quæ putat τὸ εἶναι construendum necessariò esse cum ἐξελέξατο, cum nullum sit aliud, quod præcedat infinitivum esse, non enim firmum est, infinitivus regitur à verbo ἐξελέξατο, quod solum præcedit, Ergo τὸ ἐν αὐτῷ referendum est ad τὸ εἶναι ἡμᾶς, non ad τὸ ἐξελέξατο, quid si pari instructus ratione contra Maccovium concluderem, participium προερίσας ψ. 5. regitur verbo ἐξελέξατο, E. τὸ ἐν αὐτῷ referendum est ad particulam προερίσας, non ad τὸ εἶναι ἡμᾶς; non altera, quia urget connexionem, dicens: Ostendit hoc versus antecedens tertius, cui respondet hic quartus, nam dicit benedixisse DEUM, omni benedictione, quæ est in Christo, & dicit nos esse Electos ad hoc ab æterno, ut in illo nobis illas benedictiones conferret; particula enim similitudinis respondens Hebr. 5, quod veritatis est, arguit eandem esse causam meritoriam temporalis benedictionis, & æternæ Electionis, quia utique dicitur facta ἐν Χριστῷ; non denique ultima nempe ex ψ. 6. non posse probari, Christum esse causam meritoriam, vel DEUM hominibus bonæ velle, non nisi in Christo, cum tamen serjio velit omnium peccatorum salutem, h. e. ut inimici irrogeniti & impii fiant justificati; alia enim bene-

C

volen-

volentia est generalis, quæ prosequitur quosque; *alia* specialis, quæ credentes complectitur, de qua non ibi est sermo, supposito tamen in utraque Meriti Christi fundamento generalis sub ratione acquisitionis specialis sub ratione applicationis.

§. XIV.

Ad Exc. III. Probationi oppositam Maj. Prosyllog. Resp. Provinciales Theol. in Minore Prop. aliter subsumere, quam patiatur ejus Major. Nos enim quando argumentati sumus ab executionis conformitate ad intentionis decreti rationem æqualem respeximus ad voluntatem DEI decernentis antecedentem, qua mira harmonia & elegans proportio intercedit, quando autem Adversarii dilabuntur ad causam præteritionis, quâ hos vel illos populos, DEUS ob præfractam malitiam & inobedientiam justissimo fervore præterit, illisque suam gratiam detrahit, confundunt eam cum consequente voluntate, inanis Ergo est conatus à præteritione quorundam hominum à justissimo DEO vindicte facta ad absolutam velle argumentari reprobationem.

§. XV.

PROFLIGATIS hætenus insultibus & variis his Exceptionibus argumento principali oppositis, quas *Cadmei fratres* in Belgio & alibi, arieti nostro forti pro Electionis absoluto Decreto dimicantes objicere solent; Consequens nunc est ut speciosiora & plausibilia eorum argumenta paucis ponderemus. PRIMUM depromunt à naturali DEI libertate, atque sic concludunt: Summum & liberrimum agens in actionibus suis, causis & mediis certis alligandum non est. Atqui DEUS est summum & liberrimum agens in suis actionibus. E. &c. Et consequenter in Electione ad Christi meritum fide apprehendendum non respexit. Maj. probat Molinæus, quia illud demum est agens liberrimum, quod non dependet à conditione vel vel necessitante vel libertatem diminuente vel voluntatem adstringente. Minorem probat ex Rom. 9, 16, 18. ubi liberrima ratio voluntatis Divinæ urgetur à Paulo contra Judæos libertatem conditione suarum prærogatarum adstringere cupientes. Ad hæc, inquit Synodus Dordr. *Si Electio est conditionata, infirma plane ac incerta ipsa esset DEI Electio, quicquid enim est conditionatum certum esse non potest. Certam verò & stabilem esse Electionem docet* Apostolus 2. Tim. 2, 19. Solidum stat fundamentum DEI habens sigillum hoc, novit Dominus, qui sint sui. Apparet quoque idem ex proprietatibus & natura DEI. Ipse enim est immutabilis. *Vnde sequitur voluntatem quoque ipsius & consilium esse immu-*
tabi-

*l. Argum.
nâali & c
libertate.*

abile, non verò conditionatum. Hinc dicitur Esa. 46. Consilium meum stat. vid. Collat. Hag. art. 1. Impugn. prioris per contra remonstr. pag. 60.

II. Argum. CALVIN. Conditio illa in Decreto Electionis prævisa est vel à DEO, vel ab homine, vel ab utroque; Si à DEO, quæstio oritur, cur eam potius huic, quam alii indulgeat; Si ab homine vicit Pelagius, & homo erat architectus suæ salutis, & habebit quod sacrificet reti suo; cum id conferat ad sui salvationem, quod palmarium est. Si ab utroque conjunctum & partim à DEO, partim hominibus conditio illa est prævisa, tunc vel specificatur actus DEI ab Actu hominis, vel actus hominis ab actu DEI; & hic non dari rimam, inquit Spanhemius elabendi Lutheranis.

§.XVI.

III. Pergit idem Spanhemius, & cum eo Molinæus, ad omnimodam specificæ conditionis, Meriti scil. Christi fide apprehensæ negationem, & sic infert: Christus est medium Exequendæ salutis. Ergo prius salus intenditur, quam ipse Christus; & nos sumus prius Electi, quia ipse est propter nos, & posterior nostra Electione, ex quo talis nascitur Syllog. Quicquid est medium salutis exequendæ, id salutem prius ordine intentam præsupponit. Sed Christus est medium tale salutis exequendæ. Ergo. &c. Si autem salus prius intenditur, quam media ordinantur, Christus autem in mediorum ordinem refertur, sequitur Electionem esse absolutam, & absque intuitu Christi Mediatoris factam, Major prob. quia omne Medium præsupponit finem, priorem ordine intentionis, omnis enim finis prior est suis Mediis, & finis semper prius intenditur, deinde de Mediis consultatur. Minoris veritas non minus evidens videtur, quia Christus est propter nos electus in Mediatorem, in Sacrificium atque Victimam, Medium itaque est voluntatis divinæ executivæ, priusque nos Electi salusque decreta ex mera *evidentiâ* in tempore per Christum consummanda. Hinc ulterius progreditur Molinæus, probatque Christum etiam Meritoriam non esse causam, cum sit Medium. Salus autem finis & Christum ut medium esse indigniorem salutem tanquam fine.

§.XVII.

Alij absolutorum Electionis Decretorum Patroni IV. hoc modo conditiones & causas intermedias impugnant. Omnis causa, si non tempore tamen *φύσιν*, seu natura prior est Effectu suo. Sed Meritum Christi fide apprehensum non est prius Electione. Ergo Meritum Christi

§.XVIII.

“ si fide apprehensum non est causa nostræ Electionis, & consequenter
 “ Electio nostra non est determinata, limitata & restricta, sed absoluta. *Minorem*
 “ *probat Synodus Dordrechtana art. 9. His verbis, Electio facta*
 “ *est non ex prævisa fide, &c. tanquam causa seu conditione in homine*
 “ *prærequisita, sed saltem secundum fidem, & fidei obedientiam & sancti-*
 “ *tatem facta est. Ac proinde Electio est fons omnis salutaris boni, unde*
 “ *enim fides sanctitas, & reliqua salvifica ipsa denique vita æterna, ut fru-*
 “ *ctus & effectus ejus profluunt? secundum illud Apostoli, elegit nos, ut*
 “ *essemus sancti, hæctenus illa. Eadem Synodus contra Fratres suos Re-*
 “ *monstrantes dictos, Armin. (V.) præcipuè hoc urget argumentum:*
 “ *Quodcumque non est causa principiorum secundorum, utpote conver-*
 “ *sionis, & efficacis vocationis, illud quoque non est causa principii primi,*
 “ *seu Electionis tanquam principii.*

§.XIX.

Idem Patres Synodici vel maximè hoc urgent argumentum:
 “ (VI.) Non potest alia causa æternæ DEI Electionis statui, quam ea, quæ
 “ ab ipso Spiritu DEI in S. S. exprimitur: Atqui S. Scriptura nullam aliam
 “ causam Electionis statuit, quam propositum DEI, consilium voluntatis
 “ ejus, beneplacitum ejus, & meram ejus gratiam, Rom. 8, 28. Iis, qui se-
 “ cundum propositum ipsius vocati sunt. Et c. 9, 11. Nondum enim natis
 “ pueris cum nihil fecissent boni vel mali, ut propositum DEI secundum
 “ Electionem maneret. Cum quibus consentiunt hæc loca Matth. 11, 26.
 “ Luc. 12, 32. Rom. 9, 15. 16. 18. Idcirco etiam vocat Apostolus consi-
 “ lium istud DEI Electionem gratiæ suæ, 1. 5. Quo circa pugnât cum ver-
 “ bo DEI, si quis dicat, prævisam fidem aliquomodo esse causam Electio-
 “ nis. Nusquam enim hæc formula sermonis in Scripturis invenitur,
 “ DEUM elegisse tanquam credentes, & cum conditione si in ipsum cre-
 “ damus inque obedientia fidei perseveremus. Huc usque Provinciales
 “ Hag.

§.XX.

Argumenta hæc Advers. omnia, speciosa licet & admodum plausi-
 “ bilia videantur, solida tamen ita non sunt, ut ad ea non possimus Respond.
 “ Quod itaque I. A R G U M. Calv. concernit: *Limitamus 1. ejus Maj. sum-*
 “ *mmum & liberrimum agens in actionibus suis est absolutum ab omni con-*
 “ *ditione, scil. pendente ab aliquo principio externo, concedo, est absolutum*
 “ *ab ordine divinitus sancito, nego:* Atqui DEUS eligendo homines ad sa-
 “ lutem est summum & liberrimum agens. Ergò DEUS eligendo hom-
 “ nes ad salutem, eligit sine ulla conditione *pendente ab externo aliquo prin-*
 “ *cipio,*

capio, concedo argumentum, eligit *sine conditione & ordine ab ipso DEO*
sancto, nego Conseq. 2. Elidimus etiam firmissimè Maj. per sequentem
 instantiam hoc modo: Qui est liberrimum & summum agens in suis
 actionibus, est absolutum ab omni conditione, sed DEUS liberrimè *justi-*
ficat, quos justificat. E. DEUS absolutè & sine omni conditione inter-
 veniente satisfactionis Christi fide applicatæ, sine omni fide beneficium
 istud cœleste sibi appropriante justificat, quod ut falsum utrinque repu-
 diatur. 3. Quoniam DEUS sit agens liberrimum, adeoque independens
 ab omni conditione vel necessitante vel adstringente voluntatem,
 tamen respectu propriæ suæ *τάξεως*, & ordinationis divinæ, quâ obser-
 vata, sic, & non aliter hominem voluit eligere, aliquomodo, sine tamen li-
 bertatis diminutione dicitur alligatus, nam nos quidem *καὶ τὴν εὐδοκίαν*
ἔμελλομεν & *Θεοῦ* electi sumus, sed non sine Christo, addit enim Pau-
 lus *ἐν Χριστῷ* tanquam causa summa & promerente *ψ. 5. & 2. Thess. 2, 13.*
 DEUM nos prædestinasse asserit, sed *ἐν πίστι ἀληθείας*. 4. Quod incer-
 titudinem, Synodales decreto conditionato affingunt, errant: Si enim
 omne id, quod est conditionatum esset incertum, sequeretur, missionem
 Filii DEI in carnem ad reconciliandum mundum, utpote conditiona-
 tum, & à primo hominis peccato pendente[m] [in mente divina] fuisse in-
 certam, quod ægerrimè concedent Adversarii. Deligant ergo sibi al-
 terutrum si placet, ac proinde aut dicant incertum fuisse decretum de
 mittendo Filii DEI, ex propriis ipsorum thesibus, utpote quod pende-
 rit ex mutabili & varia hominis voluntate, aut dicant fuisse incertum, ut-
 pote quod penderit non ex varia hominis voluntate, sed ex inevitabili
 Decreto DEI secundum quod necessum fuit hominem in peccatum la-
 bi, quod falsum [nec hypothésibus ipsorum congruum est.] Quod au-
 tem adversus nos citant Scripturæ dicta, 2. Tim. 2, 19. potius pro nobis
 militant, sic enim legitur, firmum fundamentum DEI stat: Rectè, sed ec-
 quod est illud firmum DEI fundamentum? sine dubio Electionis (di-
 cent,) cui salus nostra innititur. Esto. Sed quodnam est sigillum? Novit
 Dominus, qui sint sui, ait Paulus. Ergo firmum fundamentum nostræ
 Elect. ad salutem innititur divinæ præscientiæ, qua fit ut DEUS suos, h. e.
 credentes noverit. Hinc quoque ea, quæ de immutabilitate, afferunt,
 planè nil concludunt, salvâ enim decreti divini conditione, DEUS est &
 manet immutabilissimus, ne creaturæ mutabilitas DEUM mutabi-
 lem arguit.

§. XXI.

In Secundo Argumento: Quanquam omnem rimam elabendi Spanhemius obstruere summis viribus laboret, atque cornuto suo syllogismo ad angustias vel ad minimum ad absurditates Pelagianas nos adigere intendat, nusquam tamen adhuc inclusi aperto Marte militamus, atque objectioni ipsorum Respondemus, *Propos. Maj. Φερίσεως* ambiguitate turpiter ludere, quando enim infert, conditionem illam (qua intelligit fidem meriti Christi apprehensivam) vel esse à DEO vel ab homine, inque hominis voluntate positam, vel ab utroque potest conditio hæc accipi vel in sensu Pelagiano, vel Orthodoxo, priori sensu negamus esse in homine ejusque voluntate sitam; quando autem deinde progreditur & concludit. E. quia soli Misericordiæ divinæ eam esse adscribatur, DEUM æquo omnibus indulgere, *neg. conseq.* nam conditio ista prævisa non ingreditur Electionis Decretum, sub consideratione doni conferendi, sed sub consideratione doni collati, & per morosam resistantiam, voluntatisq; contumaciam non repudiati. Unde statuimus verè Electionem ex unico misericordiæ fonte profluere, quia DEUS nullis humanæ voluntatis meritis motus sola gratia nobis donat fidem. Hanc a. fidem vult aliis etiam, qui
 “pereunt donare. Sed oblatum ab illis donum respuitur. Nec valet sophi-
 “sticatio, fides donum DEI est, ubi est, sed ubi non est, donum esse non po-
 “tест, quia non ens donum DEI dici nequit, nec illud dari non potest, quod
 “non habet ille, et datur. Nam donum translatum est, quod non quidem
 ille habuit ante, cui datur; postquam a. oblatum est, illud non repudiat, sed
 acceptat. Nec enim sola *δόσις* sufficit, ut res dono oblata transferatur in
 alium, sed requiritur insuper *λήψις*, ne repudietur donum respectu offe-
 rentis, sed doni oblati possessio non transfertur in fastidientem. Hinc
 distinguimus spirituale fidei bonum, aliter enim consideratur, *ut est in*
gratia universali, omnibus oblatum, & hoc Resp. nondum Electionis de-
 cretum factum est: aliter *ut apprehensum per oblatam gratiam à paucis.*
 His paucis, qui gratiam primam non aspernari prævisi sunt gratia Ele-
 ctionis particularis ab æterno decreta est. *Φιλανθρωπία*, & benignitas
 patris miserentis gratiam salutis omnibus annuntiavit. Sed sententia justī
 judicis illis eam negavit, quos paternus affectus non potuit pertrahere
 ad fidem sibi habendam fidei donum acceptandum. E. distinguimus in-
 ter integrum DEI decretum totum salutis negotium concernens, & in-
 ter ultimum decretum, quod est Electionis, quod non tantum gratiam
 Patris erga omnes, sed & *ὑπακοήν* fidei in illis, quibus decernitur, vita
 æterna

æterna exigit. Insuper & hoc addo fidem dupliciter considerari, vel *radicaliter* vel *subjective*, priori modo dicimus eam à solo DEO dependere, quia est donum DEI, posteriori verò modo utique est sita in voluntate humana, nemo enim credit nisi volens, quando autem Spanhemius inde hominem proprium salutis suæ architectum & infert, negamus Conseq.

Ad III. rationi admodum speciosam *Molinei* argumentum Resp. Et Majorem & Minorem non esse solidam. *Major* enim turpi Oppositorum non opponendorum Elencho gravatur, non enim opposita sunt, esse executivæ divinæ voluntatis medium, & esse facultatem alicujus Decreti divini, ejus ab æterno fit respectus, sed solummodo sunt diversa, & optime simul in uno persistere possunt Christo. Est enim medium salutis, scil. quoad esse actuale, est facultas Decreti, quoad esse objectivum. *Minor* itidem falsa est ob Elenchum exclusorum non excludendorum, quamquam dicat *Molineus*, Christum esse medium voluntatis divinæ executivæ in quantum factus est victima propter totum genus humanum, non tamen ab intentione salutis plane excluditur. II. Vanissimum est & plane falsum, prius nos esse Electos, quam respectus sit ad Christum, & ad ejus meritum, nam ipsa salus non tam executioni data, quam exequenda non est, nisi in Christo, id est, propter Christi meritum verè fide apprehensum decreta. Ubicunq; enim est opus gratiæ, quale est Electio, ibi fundamentum gratiæ Christus est cum merito suo consideratus. Quando ergo dico nos esse prius Electos, idem est ac si diceremus DEI iram fuisse prius sedatam, quam intervenisset, qui *λύτρον* pro damnatis offerret. Quid autem Paulus Rom. 5. 6. 8. 10. Cum inimici essemus, reconciliati fuimus DEO per mortem Filii ejus. Valor hujus mortis jam pretiosus fuit in oculis DEI ante jacta mundi fundamenta, juxta illud Ebr. 13. 8. Christus heri & hodie ipse & in secula. Largimur quidem quod Christus propter nos & nostram salutem venerit, sed & hoc confitendum est, nobis propter Christum hanc gratiam esse factam. III. Claudicat hoc Conseq. planè: Si salus est finis fides, verò medium ad finem, ut DEUS prius cogitaverit de salute danda Petro Paulo, quam de danda fide; hoc quidem sequitur, DEUM prius cogitasse de communicanda salute, quam de mediis, sed eo sensu, ut communicationem salutis per modum finis, in genere prius intenderis, quam elegerit media, sed non sequitur, DEUM prius intendisse absolute eam communicare his vel illis
singul.

§. XXII.

singularibus personis, Petro puta & Paulo, quam statuerit, quibus medijs eam communicaret. Intentio enim finis præcedit quidem intentionem mediorum, sed quæritur: *An prima intentio salutis, ut finis sit absoluta respectu singularium? Ita ut DEVS absolute decreverit huic vel illi conferre salutem in particulari antequam quicquam statuerit de medijs.* Id quidem illi supponunt, & nos contradicimus. Et distinguimus inter donum gratuitum absolutum & conditionatum illud qua finis absolutè intenditur, hoc conditionatè, si scilicet quam DEUS est oblaturus fidem, amplectantur homines fore ut salventur, illic fidei respectus exclusus est, hic intimè inclusus.

§. XXIII.

Ad IV. Argumentum Synodaliū Resp. 1. & Majorem & Minorem esse infirmam. *Majorem* quidem; quippe quæ ne in ipso Philosophiæ ne dum Theologiæ foro universaliter vera est, nam ex Aristotelis etiam sententia l. 2. Phys. c. 3. & lib. 1. Metaph. c. 2. absurdum non est, idem diverso respectu dicere causam & effectum, quanquam non secundum idem. Limitamus itaque propositionem ita: *Effectum Electionis non potest esse causa Electionis, quatenus scilicet Effectum est, & sua causa posteriorius*, qua limitatione præmissa, in sancto sensu possemus totum argumentum concedere, cum meritum Christi fide apprehensum quoad actum sit consequens Electionis, respectu DEI præcientis considerata introducit, ut Causa Electionis, respectu verò hominum, in quorum cordibus DEUS per verbum & Sacramenta in tempore fidem modo accendit, fides Electionis infallibile quoque consequens est. Quando accurate & exquisitè velimus loqui, dicimus meritum Christi fide apprehensum proprie non esse effectum Electionis, qua est Electio, sed DEI eligentis, meritum Christi ab æterno præordinantis, fidemque accendentis. Inde tamen nondum sequitur, fides apprehensiva meriti est effectum DEI eligentis. E. intuitus fidei non ingreditur decretum Electionis, vel, fides est effectum & donum DEI. E. DEUS in decreto Electionis ad hoc suum gratuitum donum non respexit, quemadmodum non sequitur, fides est Effectum justificantis DEI. E. intuitus fidei non ingreditur decretum justificationis. Aliud enim est fidem considerare respectu causæ Efficientis, & aliud respectu sui Objecti, priori modo non solum fides, sed & omnia reliqua ad salutem spectantia ex gratuito DEI amore dependent. Post, vero modo, quæ, fides in mente divina meritum Christi tanquam adæquatum suum objectum apprehendere consideratur, eatenus nullo modo est effectum, sed pars ordinis divini. Pater hinc quid Respon-

Respondendum sit ad *Exc. & Inst. Crocij*, quia sic infert, fides est effectum & conseq. Electionis. E. non potest ejus dici causa instrumentalis sive pars aliqua antecedanea, ut ut enim habeat rationem effecti, negari tamen nequit intuitus causæ instrumentalis. Quamquam Maccovius & Wendelinus omnem etiam instrumentalis causæ rationem in decreto divino & voluntate DEI inorganica expellant, tamen, observata debita distinctione inter instrumentum ipsum & instrumenti intuitum ab æterno divinum, dicimus rectissime Scripturæ & Form. Concord. conformiter, instrumentum quidem fidei actualis non intervenire in Electione, ejus tamen intuitum DEI ab æterno vere ingredi. Voluntas ergo inorganica, non excludit intuitum causarum ob quas hoc vel illud decernit.

Ad V. Argum. Ejusque Maj. Prop. Resp. eam limit. Quodcunque *§.XXIV.*
absolute & simpliciter nec principalis nec instrumentalis est causa principiorum secundorum conversionis scilicet & efficacis vocationis, illud utique non est causa principii primi, scil. Electionis, ita *limit. Maj. concedimus*; Atqui fides meritum Christi apprehendens simpliciter & absolute nec principalis nec instrumentalis causa est, principiorum secundorum convers. & vocat. ita *neg. Min.* Ut ut enim non sit causa *principis*; est tamen *Organica*, quia ipsius est λαμβάνειν apprehendere justitiam Christi, eam in conversione & justificatione applicare. E. fides meritum Christi apprehendens non est causa Electionis, nedum impropria & instrum. *negatur Conseq.* nam hæc ipsa ab æterno rat. προγνώσεως DEI ipsum decretum ingreditur, illudque tanquam medium causa & pars limitat & determinat. II. Frustra est, quod se hinc torquet Wendelinus indicando diversitatem causarum Electionis & salutis, quod illa sit actio DEI æterna & interna nullam causam instrumentalem admittens, hæc verò temporalis, quæ multis aliis causis secundis & mediis perficiatur; Nam admissa hæc diversitate nasceretur asymphonia Decreti divini cum executione, quod blasphemum, nam quas causas DEUS in tempore ad salutem hominum adhibet, easdem in æternis de salute consiliis adhibere decrevit, ut non glorificentur, i. e. inter Electos DEI filios vita æterna perfruantur, nisi qui prævisi sunt per gratiam prævenientem de peccatis dolere, & in Christo rem remissionem peccatorum obtinere. III. Nec evadit Crocius hinc colore suo, quem obducit dicens, efficacem vocationem non pro suo Objecto habere hominem credentem, ut justificatio,

D

effi-

efficacem autem vocationem esse effectum & conseq. Electionis decreti. E. Confundit enim malus hic Analogista decreta, est enim decretum suæ Executioni analogæ non disparatæ conferendum, vocatio solum respondet proposito, justificatio autem prædestinationi. illis quidem fides non prærequiritur, sed hic utrobique subternenda est.

§.XXV.

Ad VI. & ult. Synodicorum Patrum Argumentum I. Resp. Illud plane nos ferire, nusquam enim à nobis dicitur, prævisam fidem, proprie sic dictam causam esse Electionis, propter quam sumus Electi, sed conditionem potius esse asseveramus. 2. Quando dicunt Adversarii solum beneplacitum & gratiam DEI, causam esse Electionis, atque ex eo inferunt, fidem prævisam non esse causam, videntur omnino velle cam gratiæ opponere, quod contra stylum Apostoli est ad Rom. 4, 16. 3. Neque illud Contra-Remonstrantibus Calvinianis simpliciter concedi potest, nullam aliam in Scripturis causam Electionis adsignari, quam propositum & beneplacitum, quandoquidem eadem quoque Scriptura Christum ponit causam nostræ Electionis, imò causam ob quam eligimur, secundum illud, quod dicitur ad Eph. 1, 4. Elegit nos in Christo; Item in ipso Benedicti, &c. Retorquetur E. justissime pila contra istos Advers. loca ab ipsis citata, quia potius pro nobis quàm contra nos militant, ac pleraque scopus non feriunt longiori hoc non opus habent examine & discussione, acquiescemus his, quæ hæctenus allata sunt contra Calvin. Et rectè cum Concilio Arelatensi Anathema dicentes illi, qui dixerit, eum, qui perit, non accepisse, ut salvus esse possit. Cætera conflictui reservavaturi.

ARTI-

ARTICULI POSTERIORIS

Thesis,

Conditio Decreti Electionis non est

Meritoria, sed Gratuita.

*Contra**Pontificios, eorumque pictum Meritorium
Decretum.*

EXERGASIA.

Pro dilucidatione Formanda Quæst. Princip.

Circa Quæstionis statum formandum cautelas quasdam præmittimus, ubi *Obs. 1.* auth. Pontif. inter se *Diversitatem*, & cum *Pelagianis affinitatem*; Si enim *queratur* de causa Electionis & reprobationis, varix se offerunt sententiæ, quidam enim *Scholastici* fero idem cum Pelagianis statuunt, quidam ab eis descendunt. *Pelagiani* olim docuerunt *previsa hominum merita esse causam vel Electionis vel reprobationis*. Statuerunt enim in hominis esse potestate, gratiam qua creditur & bene vivitur vel accipere vel respuere. E. prout præviderit DEUS homines vel benè vel malè suo libero Arbitrio in gratia vel accipienda vel respuenda ufuros, ita eum, vel ad augmentum Gratix, & tandem ad gloriam æternam illos prædestinasse, vel ad subtractionem prioris etiam gratix & tandem ad mortem æternam reprobasse. Ab hac sententia Pelagiana non multum abeunt Occam & Biel, *Scholastici Pontificij*, quam etiam alii plures, ut Albertus Pighius, Lombardus, Thomas, Bonaventura, secuti, cui quoq; asserens Bellarminus, *licet tacite* 1. 2. de Grat. & Lib. Arbitr. cap. 12. seq. & Becan. in Schol. Theol. tract. 1. c. 14. quæst. 4. p. 44. & seqq. II. *Observ.* Mirum *contradicendi studium*, quo hîc delectantur Pontificii, dum alibi fortissime pro *determinatione DEI* tum *Physica* tum *Morali* humanæ voluntatis dimicant, hîc verò sponte castra sua relinquentes omnibus suis obedientiæ & charitatis operibus, à DEO prævisis merita affingunt. Observa tamen *Modernos*, quosdam media incedere via, qui tamen pauci, Arubal, scil. & Granadus statuentes *unico actu absque ullo rationis ordine simul decreta merita & gloriam*, quod hoc modo explicandum, supposita nimirum scientiâ conditionalium, DEUM non prius velle gloriam, quam

D 2

meri-

§. I.

112

merita, cum velit eam dare propter merita, nec rursus, prius merita, quam gloriam. Nam volendo dare tales gratias, quas si daret, sciebat fore efficaces, vult merita, atq; iis volitis gloriam, Ergo simul uno simplicissimo decreto consummat totam prædestinationem salvandorum, discedunt hinc tum ab illis, qui ante prævisa merita, tum post merita prævisa statuunt Electionem esse factam eo ipso quo simul utraque tum merita tum gloriam decreta esse existimant. *III. Obs.* Debitam vocis Electionis usurpationem, cum enim vox hæc varie sumatur, vel pro actu DEI prædestinantis secundum Entitatem suam increatam & æternam, vel pro effectu illius actus, qui in tempore confertur, vel pro actu DEI eligentis secundum extrinsecam denominationem, quæ ab æterno libere terminatur ad effectum futurum, in tempore. Quando E. quæritur de causa Elect. non est sermo de vocabuli hujus significatione prima, quia constat ita eam nullam habere causam, sed solum de posterioribus significatis quæritur. *IV. Observ.* Non quæri, de quovis causarum genere, sed potissimum de *Causa Meritoria*, de cæteris enim inter nos & Pontificios non controversatur. *V. Obs.* Non esse eandem rationem conditionum, circa Electionem & Reprobationem, ut ut hujus non conditionis saltem, sed & reverà causa, sint peccata incredulitatis & inobedientiæ, non tamen Electionis causæ oppositæ sunt bonorum operum obedientia, nedum *fides*, causa meritoria, ratio enim diversitatis est, quia *peccata inobedientiæ & infidelitatis propriè sic dictæ causæ Meritoria* sunt condemnationis æternæ. Bona autem opera, quia *imperfecte* bona sunt, nil possunt mereri, nedum gratiam consequi. E. non est eadem ratio conditionum circa Reprobationis & Electionis decretum. Quibus præmissis quæritur:

S. II.

Verum ne detur causa Meritoria Prædestinationis ex parte ipsius actus, quatenus libere terminatur ad effectum? Vel an Electionis decretum dependeat à prævisione Meritoria causæ extrinsecæ propria?

Nos confidenter, & Scripturæ, & libris Symbolicis conformiter negamus, Adversarij verò Pontif. imprimis Scholastici, qui quocunque se vertant, coguntur ex suis hypothefibus statuere, Electionem factam esse ex præscientia Meritorum, cum statuunt homines ex congruo mereri justificationem, & ex condigno glorificationem; his autem hunc opponimus arietem, ex eadem hujus articuli propria sede depromptum, Ephes. I. v. 4. 5. 6. 7. seqq.

Qui-

Quicumque ita sunt Electi in Christo ab aeterno secundum propositum & Consilium voluntatis divinae, in seipso, in laudem gloriose & praedicanda suae gratiae, sicut in tempore sunt benedicti in Christo, illi sine omni plane merito suo praevisto, sed ex mera & absoluta gratia sunt Electi ad vitam aeternam: Atqui omnes quotquot sunt ad vitam aeternam Electi, Electi sunt in Christo ita ab aeterno secundum propositum voluntatis divinae in seipso, in laudem pretiosae & praedicandae gratiae divinae: Sicut in tempore sunt benedicti in Christo. E. omnes quotquot sunt Electi ad vitam aeternam, sunt plane sine merito suo, sed ex mera & absoluta gratia Electi ad vitam aeternam. Minoris veritas ex investigatione textus patebit. Maj. liquet ex combinatione terminorum, qui n. 1. à DEO sunt Electi in Christo, in illis nihil invenit propter quod eligeret eos, si enim propter naturae dignitatem eligi potuissemus, nil opus fuisset Christo. 2. Quos DEUS in laudem gloriose suae gratiae elegit, illos non per propria merita ad salutem praedestinavit. Si enim ex gratia, jam non ex operibus, Rom. II, 6. 3. Quia Executio conspirare debet cum rei intentione, elegit enim nos ab aeterno, καθὼς, sicut in tempore benedixit in Christo, sed benedicimur in tempore gratis. Justificatio enim non pendet ex operum merito. E. nec Electio. Nec opera ante justificationem, nec post, possunt esse causa Electionis, non illud, quia opera non placent DEO, antequam persona DEO placeat: nec hoc, quia illa opera sunt dona gratiae, non verò merita gratiae.

Ad Argum. Hoc, varii varia reponunt. Imprimis autem I. Bellarminus, acerrimimus aliàs meritorum propugnator, qui licet de praedestinationis causa Meritoria praclare videatur sentire, pro ea tamen enervanda hinc valde sudat, quando I. 2. de Grat. & Lib. Arbit. c. 14. col. 27. & 28. distinguit Electionem aeternam ob duplicem considerationis modum, vel enim notare intentionem dandi gloriam, vel dispositionem executionis; & quasi executionem in mente divina; Priore modo Electionem merè quidem esse gratuitam, & nullam praexigere operum & meritorum praevisionem; Posteriore autem modo, praerequirere eam, non enim vitam aeternam sub ratione praemii DEUM dare sibi proposuisse simulque disposuisse, nisi iis, quos bene operaturos esse praeviderit. Addit etiam col. 628. DEUM prius voluisse Electis gloriam, quam bo-

§. III.

§. IV.

na opera, quoad intentionem, sed quoad voluntatis executionem, quæ respicit gloriam, ut effectum meritorum, DEUM voluisse prius Electis dare bona merita quam gloriæ coronam, & hoc modo elegisse DEUM ad gloriam ex prævisione meritorum bonorum. Hucusque Bellarm.

§. V.

II. Aliam Becanus quærit rimam, & duplicem Prædestinationem sive Electionem facit, *unam* ad gratiam, *alteram* ad gloriam, & *illam* peculiariter prædestinationem, *istam* verò Electionem dici. Prædestinationem generaliter nominatæ, ut comprehendat gratiam & gloriam, effectus tres esse, *vocationem, justificationem & glorificationem*. Admittit quidem prædestinationem primæ & secundæ gratiæ non esse factam ex prævisis meritis, vel liberi arbitrii præcedentibus primam gratiam, esse tamen factam ex prævisis meritis liberi arbitrii gratiam consequentibus, illud enim ut Pelagianum pudiat. Hoc verò constanter defendit cum socio suo Bellarmino, insuper, prædestinationem ad gloriam distinguit, *vel* enim factam esse dicit ex prævisis meritis de condigno liberi arbitrii: & hoc esse Pelagianum, vel gratiæ, & hîc Scholasticos alios negare, alios affirmare, quibus etiam se excedere ait. vid. Schol. Theol. tract. I. cap. 14. quæst. 4. pag. 44. seq.

§. VI.

III. Aliter excipit Gregorius Valentianus, quilibet molliorvideatur, & concedat in assert. I. tom. I. disput. pag. 518. prædestinationem ad omnes suos effectus relatam, non habere ullo modo causam meritoriam in prædestinato, addit tamen assertionem suam secundam, pag. 524. *DEVM neminem adultum ordinario modo prædestinare, nisi cum respectu quodam divine sue præscientiæ ad cooperationem perseverantem ipsius prædestinati*. Quibus verbis quid sibi velit ne nesciamus addit pag. 501. *Merita, verbi gratia, D. Petri, fuisse causam prædestinationis meritoriam, & moralem, relatam ad æternam D. Petri gloriam*; Pergit pag. 503. & contendit DEVM propter prævisa bona opera iustorum prædestinasse illos ad gloriam, tanquam bonorum operum mercedem; Imò affirmare non dubitat p. 559. *Ita respexisse DEVM in Decreto Prædestinationis ad cooperationem hominis, ut homo in ea considerare possit*. Hæc ille cit. Brochm. Syft. Theol. part. I. art. de Prædest. 3. quæst. 8.

§. VII.

Verum hi aliive distinctionem Mæandri tam fallaces & intricati non sunt, ut nos non possimus ex illis ipsis extricare. Respondemus itaque ad I. Bellarm. Exc. distinctionem istam h. l. applicatam ob Scripturæ & aliorum auctoritatem, & disconvenientiæ Decreti divini, & ejusdem executionis periculum, nunquam posse admitti. *Scriptura enim*

enim apertissimè adverstatur, quæ nunquam & nusquam Electionem accipit pro nuda saltem intentione dandi gloriam. 2. Quamvis vereatur in toto hoc cap. 14. & seqq. operum bonorum meritum includere decreto Electionis, diserte tamen hac sua distinctione illud comprobatur, & sic una litura tollit, quod copiose in cap. 13. 14. 15. & seqq. disseruit. 3. Non potest salvis suis hypothesibus Bellarm. aliter statuere, quam Electionem esse factam ex meritorum præscientia. *Quomodo DEUS in tempore homines actum salvat, eo etiam modo ab æterno eos salvare constituit, quam regulam probat immutabilitas divinæ voluntatis & sequentia Scripturæ dicta, Rom. 8, 29. Quos prædestinavit hos & vocavit, hos & justificavit, quos autem justificavit, hos etiam glorificavit, Eph. 1, 3. Dixit nobis in Christo καὶ ἔως, sicut elegit nos in ipso, &c.* Atqui ex sententia Bellarm. propter merita bona DEUS in tempore nos salvat. E. etiam ab æterno propter bona merita eos salvare constituit, h. e. ad vitam æternam nos elegit. Suis proinde cruribus asciam illidit Bellarm. quando operose & copiose disputat: Electionem non esse factam absque ulla operum prævisione, si enim gratuita Electio est, utique etiam gratuita est nostra salus. Quod ab æterno non movit DEUM, ut nos elegerit, illud etiam in tempore non movit eum, ut nos salvet. Quod DEUS ab æterno non respexit, ut propter illud non eligeret, illud etiam in tempore non respicit, ut propter illud nos salvet; Ergo non est, quod distinguatur inter *Decretum & Executionem Electionis*, quasi illud gratuitum, non autem *hæc ipsa*, quia decretum & executio sibi exactissime omnino correspondent, ut, suo loco uberius in art. priori contra Calvin. ostendimus.

II. Exceptionem Becani quod concernit, Resp. distinctionem illam, cæteroque in se bonam, malè tamen hîc applicatam justè rejicimus; Nullum enim locum esse prævisioni operum quocunque modo consideratorum vel anteced. vel consequentium gratiam, tanquam *causa Meritoria* in Electione tum ad gratiam tum ad gloriam æternam, supra jam diximus, ducti testimoniis Scripturæ S. quæ tam clarè hoc ipsum docet, ut mirer inveniri, qui tam se manifestæ veritatis velit opponere. Eph. 2. v. 8. *Gratia salvati estis per fidem, idque non ex vobis DEI donum est*, Rom. 11. v. 5. 6. *Reservatio secundum Electionem gratuitam facta est. Quod si per gratiam, jam non ex operibus, aliquid opus non esset gratia. Si enim verò ex operibus, jam non ex gratia, alias opus non est opus*, Tit. 3. 5. Non

§. VIII.

ex operibus iustitia, qua fecimus nos, sed secundum misericordiam salvos fecit nos. Insuper etiam Abrahamus insignis & clarus operibus, fide salutem sine operibus iustificatus esse dicitur, Rom. 4, 1. 2. 3, & seq. Patet Ergo quam frustraneum sit distinguere inter operum merita gratiam antecedentia & consequentia, item inter opera in Electione tum ad gratiam tum ad gloriam prævisa.

§. IX.

III. Ad Except. Gregorii de Valentia. Resp. eam plane inanem esse & oppido in contradictionis notam incurrere. Quam absurdum enim est, concedere, Prædestinationem respectu omnium suorum effectuum esse gratuitam, & nullam omnino habere causam meritoriam? & tamen ordinariè requiri respectum & intuitum divinum ad cuius vis adulti prædestinati cooperationem perseverantem; Quæritur enim an per intuitum DEI prævisa talis prædestinati hominis cooperatio, ingrediatur decretum; ut causa movens, an verò ut causa aliqua otiosa, quæcunque hic assumperit, sibi habeat responsum. E. præter rem subtilis est hoc loco Gregorius Valentianus.

§. X.

Præmissis Exceptionibus his explosis ducimur rectè ad ipsa Argumenta & Conclusiones Adversariorum contrarias, quæ tum ex Scripturæ Sacræ, tum ex rationis principiis de promptæ sunt; Scriptura fundamenta, quod attinet, opponit Becanus loca quædam, in quibus vita æterna vocatur MERCES, Matth. 20. *Voca operarios, & da illis Mercedem.* Item CORONA, Apoc. 3. *Tene, quod habes, ne alius accipiat Coronam tuam,* 2. Tim. 2. 5. *Brabeum & stipendium, retributio iustitiæ.* Imprimis autem urget locum Matth. 25, 34. 35. *Venite Benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis à jactu mundi fundamentis. Esurivi enim & dedistis mihi quo vescerer, &c.* Albertus Pighius inquit: Paratum istis regnum est ab ipsa mundi constitutione, quia piè victuri erant in hoc seculo; Idem ait: Non solum reddi rationem, ob quam accepturi sint regnum, sed quare etiam accepturi sint regnum præparatum, quod est causam præparationis intricare. Non minus etiam urget Becanus locum 2. Tim. 2, 19. 20. 21. *In Magna Domo non tantum sunt vasa aurea & argentea, sed etiam lignea & testacea, & alia quidem ad decus, alia ad dedecus. Si quis ergo seipsum emundaverit ab illis erit vas ad decus sanctificatum & accommodatum usibus Domini.* Ex quo colligere nititur, esse in hominis potestate positum, à peccatis se emundare, & ab emundatione illa pendere, ut simus sancti.

His

Matth. 25.
 titulus vix non
 demonstrat in fine
 usalis, sed operari
 rixu ratiocinatio
 colligitur non
 effectus à causa,
 causa et effectus
 sicuti concludo:
 potest si hic adibit
 operari, non ex
 deus ascendit.
 sicuti

His autem nondum contentus, confugit ad rationes, quibus ut speciosius rem ipsam infringat, sic procedit. I. *Quicumque* eligit id quod melius est, eligit ex prævisione bonorum operum, DEUS eligens ad gloriam suos fideles, eligit id quod melius est. Ergo DEUS eligens suos fideles, eligit ex prævisione bonorum operum. *Majorem* supponit Becanus pro certa, idcirco progreditur ad probationem *Minoris*, quam ita proponit: *Quisquis* enim eligit, aut eligendo aberrat, aut eligit id quod melius est. DEUS autem utpote Sapientissimus eligendo non aberrat. E. eligit quod melius est.

§. XI.

II. Electio *paucorum* non fit absque prævisione bonorum operum. Electio ad gloriam est paucorum, Matth. 20, 16. cap. 22, 14. cap. 7, 14. *Ratio Maj.* hæc est: Si DEUS absque prævisione operum bonorum eligeret, absque dubio, aut omnes, aut majorem partem hominum elegeret ad vitam, cum sit natura bonus, misericors, & in gratiam promior quam in iram.

§. XII.

III. Ratio Becani est hæc: si DEI prædestinatio ad salutem antecedit omnem prævisionem boni usus liberi Arbitrii. E. vel decretum prædestinationis non est certum, vel potest in executione impleri absque prædestinati cooperatione, vel imponit prædestinato necessitatem absolutam. At hæc omnia sunt absurda. E. & illud *Conseq. Prob.* quia prædestinatus vel potest non cooperari, actum, aut incertum fit decretum, quia non implebitur absque cooperatione; Vel necessario cooperatur adeoque absolute.

§. XIII.

IV. Ratio Stapleton. *Qualis* est reprobatio ad mortem, talis est Electio ad vitam & gloriam. Sed Reprobatio facta non est sine prævisione malorum operum. E. nec Electio sine prævisione bonorum operum. Utramque proposit. infallibilem esse dicit in hoc argumento Staplet.

§. XIV.

V. Ratio est Staplet. *Per quod* Electio fit, & firma efficitur id causa ejus recte dicitur, & ab illo ea jure dependet. Sed Electio fit & firma, efficitur per bona opera. E. bona opera sunt causæ Electionis. E. ab his dependet. *Maj.* per se omnibus notam esse ait, *Minorem* confirmat assertionem Apostolica, 2. Tim. 2, 20.

§. XV.

VI. Eiusdem Stapl. ratio. Si DEUS prædestinat absque ullis prævisis operibus, sequuntur omnes exhortationes, correctiones, præcepta, orationes & similia esse frustranea, *Consequentia* rationem eam esse di-

§. XVI.

ad Rationem V. R. per bona opa: hæc verba non sunt in textu. 2. quæ bona opa subintelligi queant, non tñ assentit Aplj, hæc salvandor pp bona opa eligi sed dicit tantum, electiones p opa firmari, scilicet quoad cognoscere posteriori. Sunt n. opa veri bona. Verumptenim et nota firma, qd electi a reprobis validi dignoscuntur.

cit, quia prædestinatus ad vitam absque operum prævisione quicquid agat sive benè, sive malè, tamen salvabitur.

§. XVII.

VII. Becani Ratio *ex analogia voluntatis humana* desumpta, hæc est. Si rex proponet præmium certantibus, hæc lege, ut victor id consequeretur, nunquam decerneret voluntate absoluta sine merito, dare alicui præmium, quamvis amato, antequam victorem videret. DEUS autem proponit omnibus, ut præmium vitam æternam, ut nullus consequatur 2. Timoth. 2. Ergo nulli decrevit vitam dare ante prævisa meritoria opera.

§. XVIII.

VIII. Becani Argumentum est. Si DEUS voluntate consequente vult, non omnibus dare vitam. E. Electio est ex prævisis operum meritis. *Prob. Conseq.* quia voluntas antecedens est ex rei consideratione simpliciter in seipsa, nulla habita circumstantiarum consequentium ratione; At consequens contra: Diversa Ergo est pro variis circumstantiis. Hominum autem damnandorum & salvandorum diversa hæc circumstantia est, ut alii vocationem admittant, alii respuant. *Antec. Prob.* Quia voluntas salvandi est efficax, ideoque consequens. Nam antecedens est voluntas signi.

§. XIX.

Hæc sunt præcipua Adversariorum in hoc puncto argumenta, quæ quidem quo magis plausibilia videntur, eò tamen minus solida sunt, ut autem Respondeamus ad I. Argumentum i. dicimus frustra urgeri dicta, in quibus æterna vita vocatur *Merces, Stipendium, Corona, &c.* quæ quidem *proprie* notant compensationem laboris è merito debitam, adeo ut quod datur: detur iusta propositione ad id, quod fecimus. Quo sensu Scriptura planissime negat *opera bona Mercedem esse vitæ æternæ*, Eph. 2. ̄. 8. Tit. 3, 5. Rom. 6, Luc. 17, 10. *Improprie* vero Merces est compensatio & retributio gratuita profecta à misericordia DEI & benignâ ipsius promissione; Quo sensu vita æterna Merces vocatur & Stipendium. *Vnde tamen meritum operum non adstruitur, sed destruitur.* *μισθός & χάρις* hoc sensu ambulant pari passu, quod planum est è collatione locorum, Matth. 6, 1. Luc. 6, 32. Rom. 6. ̄. ult. Eph. 2, 8. Matth. 5, 12. Vita ergo æterna non est Merces ex opere, tanquam debito & merito collata; id enim DEI Spiritus negat, Eph. 2, 8. Rom. 4, 4. Sed gratuita & plane paterna è que mera misericordia profecta compensatio. Porro (2.) vita æterna appellatur corona, non quia meritis datur & debetur nostris, Tit. 3, 5. sed quia datur certanti & vincenti, 2. Tim. 2, 5. non quidem propter

pter meritum certantis, quod nullum in se agnoscit, qui certat 1. Cor. 4, 4. sed è misericordia & paterna promissione coronantis, Eph. 2, 8. Nec obstat, quod Pistorius cum Becano regerat, vocari *Coronam justitia*, 2. Tim. 4, 8. Phrasi enim hâc non designari aliud quam quod DEUS Coronam, quam piis non propter ipsorum merita, sed ex gratia promisit, pro ea, qua est justitia & veritate certo iis conferre velit, Ebr. 6, 10. evidentissime docent viginti quatuor Seniores, Apoc. 4, 10. qui Coronas suas ad Thronum deponunt dicentes; Dignus es Domine, qui accipias gloriam, &c. Hoc enim factò ostendunt, adscribere se suas Coronas, non suis meritis, sed gratiæ & meritis Domini Jesu Christi. (3.) Loco Matth. 15, 34. 35. laudato Christus *rationem* dicti affert, *causam* rei non affert, quod vel tribus argumentis cognoscas. *Primò* enim vocat *εὐλογημένους* & *πατρὸς* habent ergo regnum ex benedictione Patris. E. non ex merito. *Secundò*, non simpliciter dicit; Possidete, sed *κληρονομήσατε*. Offert ergo hæreditate possidendum. Pulchrè hinc Theophylactus in Matth. cit. Crocio: *Christus*, inquit, *Sanctos vocat* » *Benedictos, ut à Patre susceptos. Hæredes autem ipsos facit regni, osten-* » *dens quod DEVS eos participes faciet regni sui, ut filios suos. Non enim* » *dixit accipite; sed possidete regnum in hæreditatem, ut paternam substan-* » *tiam.* Meritum autem ex condigno cum hæreditate non consistit. *Ter-* » *tiò*, Christus dicit eis paratum esse regnum à jactis fundamentis scil. per Electionem. Electio autem juxta Paulum non est ex merito, Rom. 9. v. 11. Eph. 1, 4. alioquin nemo esset electus, nisi habiturus merita. Nullus ergo infans esset electus. Nulla enim habet merita. Non E. salvandus, absurd. Electus ergo non ex merito. Absurdus E. est Pighius causalis sua particula, QUIA, quam Textui inserit.

(4.) Locum 2. Tim. 2. à Becano allatum, quod concernit, Resp. Emundationem illâ in hominis nondum regenerati potestate positam esse, *Apostolus* non dicit, *neque* operibus nostris *causam* Electionis transcribit, sed *de Effectis* atque *τεκμηρίοις* Electionis agit, ex quib. scil. signis manifestum fiat, qui sint vasa ad decus, qui sint in numero Electorum, videlicet, qui à doctrinæ & vitæ immunditiæ Spiritus Sancti gratiæ efficacia se emundant. *Secundò*, quod autem jubemur nos ipsos emundare, nondum probat, ex nobis id nosmetipfos posse, siquidem non sumus idonei cogitare aliquid boni, &c. 2. Cor. 3, 5. DEUS est qui opera-

E 2

tur

§. XIX.

tur nobis & velle & perficere, Phil. 2, 13. sed possumus illud ex novis illis datis à DEO viribus.

§.XX.

Accingimus nos jam ad *Argumenta & rationes*, partim à Becano, partim à Stapletono allatas. Atq; ad I. Resp. utramque præmissarum esse falsam. *Major* quidem (1.) Nam potest aliquid eligi melius altero, ita tamen, ut ea bonitas non sit Electionis causa, ut fit non tantum in fortuitis delectionibus: sed & in illis, in quibus non est rei bonitas proportionata Electioni. Ut si quis in magnas divitias adoptetur, qui formosior sit altero, non tamen erit forma Electionis causa, sed adoptantis gratia; datur itaque *Major* non nisi tùm, quando id quod melius, causa quoque est ipsius Electionis; sive cum Electio instituitur secundum inhxerentes qualitates, & propter illas fit, ut si eligendi sint pastores Ecclesiæ, aberratur, si non eligatur optimus. (2.) *Minor* itidem falsa est. Nam homines in massa æqualiter corrupta non sunt alii aliis meliores, sed omnes peccaverunt, ac egent gloria DEI, ad Rom. 3. Et cap. 11. *Concluse omnes DEVS sub peccato, ut omnium miseretur.* Et cap. 5. *Omnes peccarunt in Adamo.* Et cap. 9. *Non ex meliori & deteriori, sed ex eadem massa fiunt vasa ad decus & dedecus;* Nisi itaque *Major* valeat de electione tali, quæ est inter pares, cothurnus huic pedi non conveniet.

§.XXI.

II. Argumenti Becani. *Prop. est falsissima. Ratio* ejus inconsequens est. Elegit enim non ex debito, sed ex gratia, pro liberrimâ *indolentia* ac potestate sua non ex nexu aliquo obligationis, Rom. 9. & passim. 2. Invertimus potius rationem. Si ex prævisione operum facienda fuisset prædestinatio, DEUS nullos ad vitam elegisset, sed omnes interitui destinasset, omnes ad mortem reprobare debuisset, ut qui justus est, & zelotes, omnes autem homines peccato obnoxii sunt nemine excepto.

§.XXII.

III. Bec. Argumentum *Consequentis* laborat inconsequentibus. Nam 1. non sequitur, DEUS elegit homines ad salutem sine prævisione bonorum operum. Ergo Electionis in intuitu DEI non est certa ratio, quia Electio infantum facta est sine prævisione operum bonorum. E. non est certa, quæ hæc est consequentia? imò dicimus, certitudinem Electionis tam non dependere à propriis hominum meritis, ut potius incerta redderetur Electio, si dependeret à prævisis ejusmodi bonis operibus. 2. Plane nos non ferit, quod infert, DEI prædestinatio antecedit prævisionem boni usus liberi Arbitrii. E. decretum prædest. potest impleri

pleri in executione sine prædestinati cooperatione. 3. Insuper non sequitur: Electio facta sine prævisis operibus. E. est absoluta necessitate directa. Nam absoluta necessitas proximam causam ita movet, ut ejus naturæ rationem nullam habeat. At verò DEUS in executione prædestinationis, hominem ita agit, ut liberum ejus arbitrium omnimode non destruat. Deinde non est absoluta necessitas, quia impletur per media.

IV. Staplet. Argumentum valdè non concludit, quia Majoris propositionis fulcrum, quo unicè nititur valdè infirmum, fallit enim & fallitur in eo, quo sibi & aliis persuadet, eandem in omnibus contrariam esse rationem Electionis & Reprobationis, falsum enim hoc esse monuimus in Exergasia hujus Theos, Observ. quinta, ubi diversitates clare ostendimus. Quo ipso etiam acquiescimus.

§. XXIII.

V. Argumentum ejusd. Stapl. committit Elenchum plurium Interrogationum ob duplicitem medii. Fit enim & efficitur Electio à priori per causam suam. Firma verò redditur etiam à posteriore per propria effecta; de priori minor: de posteriore vero medio Major neganda est. 2. Dicta Apostolica alienissima sunt à glossa Pelagiana, in quibus non agitur de causa Electionis, à qua ipsa dependeat, sed tantum traditur nota ex qua Electionem nostram nobis certam, alias etiam manifestam, reddere possimus. Est autem ea nil aliud, quam sincera & constans Confessio nominis Divini & bonorum operum studium. Quod ex scopo & connexione sententiarum evidentissimum est. Ideoque 2. Timoth. 2. v. 20. Verbum ἔσται, erit, idem denotat, quod declarabitur, esse cognoscetur, ut Matth. 5, 44. 45. Johan. 31. Tum Phrasia Petrina βεβαίαν ποιῆσθαι τὴν ἐκλογὴν non de Confirmatione Electionis apud DEUM, sed de ea, quæ fit apud nos, & in animis nostris; nec de bonis operibus prævisis aut futuris, sed de præsentibus aut præteritis intelligenda & explicanda est.

§. XXIV.

In VI. Stapl. Argumento. Neg. Conseq. Maj. Propos. Nam prædestinatio non tantum est finis, sed etiam mediolorum. Non inutiles ergo sunt exhortationes & correctiones imo ex illis eorum pendet efficacia; tam igitur frustraneæ non sunt omnes exhortationes, præcepta, correctiones orationes, ut potius media Electionis in nobis confirmet, neq; applicare nos doceant. 2. Ad Confirmationem autem consequentiæ Respond. verba illa, sive agat bene sive male, dupliciter intelligi, vel enim

§. XXV.

involvunt ea, quæ causalitatis aliquam rationem in puncto Electionis habent, vel saltem aliquam externam Electionis declarationem notant. Si prius admittimus consequentiæ rationem, asino autem has clitellas, nos enim hoc nunquam asseruimus, nobis E. hoc modo nil officit. Sin verò involvunt declarationem aliquam Electionis externam, negamus consequentiæ rationem, sunt quippe mala vel bona opera aliquo modo testes & declarantia signa Reprobationis & Electionis.

§.XXVI.

Ad VII. Becani Argumentum. Resp. 1. Indignum, DEUM mensurari humano modulo. 2. Si ipsum argumentum accurate perpendamus, nos planè non ferit, imò potius ita pro nobis militat ut fortissime contra Calvinianos inde concludamus. Sicut Rex proponit præmium certantibus, hæc lege ut victor id solum consequatur, nunquam autem decernit voluntate absoluta dare alicui præmium, quamvis amato, antequam fuerit victor. Ita nec DEUS proponit vitam æternam, ut præmium, dare absolute & sine omni conditione, sed legitime contentantibus; Quando autem certamen ut meritum præmii Becanus vult accipi, negamus, parem esse rationem analogiæ voluntatis diviniæ & humanæ. Rex enim ideo certantibus pollicetur præmium, quia propriis viribus eos certare videt, alia autem ratio est hoc loco eorum, quibus certantibus DEUS promittit præmium, his enim non sub ratione meriti promittit, sed ex gratia offert iis, quos auxiliis divinis adjutos & in tramite pietatis ductu Spiritus Sancti cursuros DEUS prævidit.

§.XXVII.

Ad VIII. & Ult. Becani Argumentum Resp. 1. Gravari Elencho Consequentia, sequiturne? DEUS voluntate consequente non vult omnibus dare vitam æternam. Ergo datur Electio, quæ facta est ex prævisis hominum meritis? Annon est alia ratio ob cuius intuitum DEUS vult hunc præ alio eligere ad vitam æternam; annon DEUS credentes ob fidem solum, non ob merita operum. vult justificare, videt Ergo præter propria hominum merita etiam dari rationem, ob cuius intuitum DEUS constituerit ab æterno hominem eligere. 2. Ad Probat. autem Conseq. Resp. Ut ut pro diversitate circumstantiarum, & mediorum tum oblatione tum applicatione concedamus distinctionem voluntatis antecedentis & consequentis, nil tamen contra nos, per eandem probari, cuius facile liquet. Nemo enim unquam ex nobis docuit voluntatem DEI consequentem, quam alii iustitiæ vocant, respectum habere ad merita operum bonorum, sed unice eum fundari dicimus in nuda mediorum receptio-

ceptione & debita per gratiam DEI applicatione; eorumque repudiatorum justa vindicatione. Jubemus itaque transire Adversarios cum suis subtilitatibus; nos acquiescimus ac fortiter prædictæ nostræ sententiæ inhæremus. Finimus illo Augustini dicto: Epist. 105.

DEUM non invenire homines Eligendos,
sed facere.

Ode

Sacris ausibus, pugnæque felici

VENERABILIS ET ERUDITISSIMI

DN. RESP.

M. FRIDERICI FABRI,

Cum Calvin. Pontificiisque

habita,

Consecrata

à

Collegio Repetentium in Ill. Stip. Tub.


O Qui Neccaridum colis
Sanctas hæcè domos, grataque Numinis
In visis pede limina
Ter-Sancti, simul hinc ausibus entheis
Turmas irruis hosticas
Miles prævalidus. Nunc animis opus.
Nunc grando Chalybum imminet,
Telorumque frequens aura volentium
Sacratæ galeæ insonat.
Hinc armis tenebrarum horridus profilit
Bellonæ Palter Italæ;
Illinc Calva trahens de Duce nomina
Bellator furit improbus.
Ast illi usque furant; non Tuus, Optime,


Seu

Seu Candor niveis propè
 Fixus pectoribus, seu Pietas sacra
 Solisq̄ue æmula ignibus,
 Seu doctrina gravis partaq̄ue sedulis
 Mens præclara laboribus,
 Seu (nam prima tenet) desuper editus
 Sermo, qui tremor hostium,
 Atq̄ue anceps gladius flammaq̄ue militum,
 Victicem ire sinunt vago
 Passu Laureolam divaq̄ue dogmata.
 Sic discrimina defugis,
 Sic vultum subitis eripis ictibus
 Devorumq̄ue morilatus
 Objectu tremulæ protegis ægidis.
 Tales bella pavent viros
 Sacra, atq̄ue hos animos ipsa volunt propè
 Declinare pericula.
 Sed pugnam tenui quid canimus lyrâ
 Atque attollimus omine?
 Quam læto celebrat Neccaridum chorus
 Cantu, pectineq̄ue edidit
 Incisum hoc viridi Carmen in Illice:
 Quem divæ Sophies Pater
 Quem sic & melior Theologie fovet,
FORTUNÆ IS FABER AURÆÆ
ET FAMÆ EGREGIUS CONDITOR
INCLYTÆ.

F I N I S.









(II)

§. X.

orum maneat sententia, qui per Tem-
 hic parva templa ad formam templi E-
 parvo Dianæ simulacro. a Demetrio & o-
 ex argento efficta & elaborata fuisse sta-
 em in textu nostro præcise est additum,
 e notante *Prisco*, *Δικειτιμὸς* sumendum
 em ejusmodi nugamenta ex auro quo-
 imo ligno fieri consueverant, uti ex su-
 aliunde satis constat.

§. XI.

in loco quædam de templo Ephesiæ Dia-
 celebratissimo, ejusque structura artificio-
 eposita vi magna, donariisque eximiiis di-
 a pluribus jam eruditis esset præstitum,
 n habes apud Clarissimum Virum *Jo. Al-*
in Bibliographia antiquaria Cap. IX. §. 19.
 am hic annotasse forte non ingratum erit,
 pecunia, quam ex præda comparave-
 d Megabyzum deposuerat, extraxisse Sci-
 vum in honorem Dianæ, ad similitudi-
 ejus templi Ephesini. Quæ de re ipsus
 V. de Expeditione Cyri p. 274. sic scri-
 re lubet: *Ἐπειδὴ δὲ ἔφυγε Ξενοφῶν, κατοικῆντι*
ἐν τῷ τῶν Λακεδαιμονίων οἰκιστῆρι καὶ τῷ
Μεγάβυζοι ἐν Ὀλυμπίᾳ θεωρήσων, καὶ ἀπο-
καθίκεν αὐτῷ. Ξενοφῶν δὲ λαβὼν, χροῖον ἀνεί-
ειλεν ὁ θεός. ἔτυχεν δὲ διαρρέαν εἶναι τῷ χροῖον
καὶ ἐν Ἐφέσῳ δὲ καὶ τὸν τῆς Ἐφεσίας Ἀρτέμι-
οἴαμος παραρρέει, καὶ ἰχθύες δὲ ἐν ἀμφοτέροις
δὲ τῷ Σκιλῆντι χροῖον καὶ θῆρα πάντων ὅσῳσα
αἰ. ἐποίησε δὲ καὶ ναὸν καὶ βωμὸν δὴ τῷ ἱερῷ
ὄν αἰεὶ δεκατέτων τὰ ἐκ τῆ ἀγρῆ ὠρεῖα, θυσίας
 quæ Joh. Lewenklaus ita latine vertit:
 esset in exilio Xenophon, ac jam Scilunte ha-
 tum a Lacedæmonis propter Olympiam con-
 diturus

